



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

IV. Vtrum materia & forma sacramentorum sint inuariabiles?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

& nomen rerum moraliter subire comparatione posteriorum.

Ad 2. Verba, & nutus illis æquivalentes, quibus perficitur matrimonium validum, æquivalent traditioni, & acceptationi realiter distinctis. Et quia traditio in aliis contractibus, saltem ut plurimum, & per se, est quid purè physicum à verbis distinctum, nec verbis substitutum; acceptatio verò è conuerso saltem ut plurimum, & per se fit per verba, aut aliquid verbis substitutum; propterea verba matrimonialia, quatenus habent rationem traditionis nomine rerum moraliter, & æquiualeuter censentur, nomine autem verborum, quatenus habent rationem acceptationis.

Ad 3. Verba consecrationis postquam desinunt esse formaliter, ac physice, perseverant nihilominus virtualiter, ac moraliter per physicam, & veram perseverantiam alicuius sui effectus, & quatenus sic perseverantia constituunt intrinsecè Sacramentum Eucharistiæ, quamdiu quo ad cæteras partes physice, ac formaliter perseverat. De quo sicut, & de duplici superiori responsione dicitur fusius in loco.

Ad 4. Pars cuiusque compositi magis indifferens ad alteram partem, quàm hæc sit ad illam dicitur materia; forma verò, hæc alia magis determinata. Est etiam proprium formæ, ut sit præstantior, quàm materia. Quoad utrumque comparantur partes omnes inter se, secundum eam rationem, sub quâ pertinent ad totum. Iam ad sacramentum confluunt eius partes sub ratione signi symbolici; atque sub hac ratione verba habent maiorem determinationem, perfectionemque longè maiorem. Maiorem quidem perfectionem, quia, ut dicit August. lib. 2. de doctrina Christ. cap. 3. *Verba obtinent principatum ante omnia signa.* Atque hinc sequitur maior determinatio, quia perfectius signum est, quod maiori cum determinatione repræsentat rem significatam. Ex defectu enim significationis provenit confusio, seu confusibilitas significati cum aliis, & indiscernibilitas ab aliis ex vi signi. Idem patet ex enumeratione partium. Quia aqua, quæ est materia baptismi est ex se indifferens ad abstergendum, & refrigerandum. At verba, quæ illi adiunguntur habent de se determinationem ad emundationem animæ, & macularum exterionem, qui est effectus determinatè per baptismum significatus. Accusatio sui, quam diximus rem in sacramento penitentia, est indifferens ad humiliationem, conciliationem, damnationem, & condonationem; atque ad hanc ultimam, qui est effectus eius sacramenti determinatur per verba absolutionis; Haud aliter in matrimonio acceptatio ex conceptu suo præsupponit traditionem; & complet, tanquam ultima determinatio, coniunctionem, & adiudicationem rei tradita respectu acceptantis; & similiter in aliis omnibus contingit. Qua ratione dixit Augustinus tr. 80. in Ioan. *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*: nempe accessio per se est magis determinati ad magis indifferens. His igitur de causis satis idoneè dicuntur res quidem materia sacramenti; forma verò verba; licet alia propria materia, & formæ physica illis desint.

Ad 5. Antiqua sacramenta comparantur cum novis tanquam imperfectum, & inchoatum cum perfecto, & absoluto, nec dicuntur exemplaria novorum, nisi improprie, quatenus præexistere cum aliqua similitudine, & vi inductiva posteriorum. Imperfectius autem necesse est, ut careat ea parte, ratione cuius præcellit, quod est perfectius. Porro verba sunt ea pars, ratione cuius præcellit vis significatiua sacramentorum novæ legis. Nempe quod dicit Tridentinum sess. 14. decreto de Sacramentis penitentia, & extremae Unctionis cap. 3. initio: *Formam Sacramenti*

penitentia esse in qua præcipua ipsius vis sita est; dereliquis etiam sacramentis suo modo verificatur, quoad præstantiam significandi, ut apparet ex modo dictis. Idem Concilium ibidem cap. 2. initio, clarè in eodem sacramento adstruit, & in reliquis novæ legis non obscure supponit, materiam, & formam intrinsecè constitutivas eorum, dum dicit: *præterquam quod materia, & forma, quibus sacramenti essentia perficitur, longissime dissident.*

QVÆSTIO IV.

Utrum materia, & forma Sacramentorum sint invariabiles.

Videntur non esse. 1. Ex Caluino, quia verba quorum est usus in perficiendis sacramentis, non pertinent ad eorum essentiam, & causalitatem, sed sunt concionatoria, solumque pertinent ad eruditionem, & ad excitandam fidem suscipientium. Colligitur primo ex illo ad Ephes. 5. 26. de Christo, & Ecclesia: *Mundans eam lauacro aqua in verbo vite*; id est doctrinæ, & concionis, ut interpretatur Diuus Hieronymus in eum locum. Deinde ex Matth. 18. 19. *Docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: ubi ministro baptismi quatenus loquenti solum commendatur doctrina, & consequenter, ut dum baptizat, aut lauat solum doctrinaliter proponat, ac exponat nomen Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Denique ex illo August. tract. 80. in Ioan. *Vnde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur*: Ergo verba in sacramentis non conferunt ad existentiam gratiæ præcisè secundum se, & per immediatam causalitatem, sed solum quatenus excitant fidem. Excitatio autem fidei, & eruditio audientium multiplici verborum genere æquè bene præstari potest: nec est deinceps determinata vllis, ac inuariabilibus verbis. Ergo formæ sacramentales sunt variabiles, pro libito ministri, sicut verba aliarum concionum.

2. Concilium Tridentinum reddidit inualidum matrimonium clandestinum sine præsentia testium, & Parochi, contractum, quod tamen ante concilium erat proculdubio validum. Varietas autem circa valorem sacramenti, est varietas circa substantiam ipsius ac proinde circa materiam, & formam secundum se, & non solum secundum accedens. Ergo auctoritate, Ecclesiæ induci potest novitas, & variatio circa materias, & formas sacramentorum.

3. In eodem sacramento possunt Principes temporales non minùs, quinimò à fortiori, & multò magis, similes novitates quoties, & quales liberit inducere. Quia contractus matrimonij est aliquid secundum se, naturale, ac temporale, substantiæ auctoritati Principum temporalium, non minùs, aut alia ratione, quàm cæteri contractus naturales, ac temporales, variabiles, quoad substantiam iuxta eorum voluntatem. Nec enim supernaturalia commendata auctoritati Ecclesiasticæ inducta sunt per Christum cum iactura Principum temporalium circa ea, quæ antecedenter illis suberant, uti suberat contractus matrimonij; & est res magni momenti ad temporalem reipublicæ directionem.

4. Ecclesia sola sua auctoritate induxit novam materiam pro sacramento Ordinis. Quia olim Diaconus ordinabatur per solam manuum impositionem, ut materiam, certè absque exhibitione Euangeliorum, ut patet exemplo Sancti Stephani ordinati, cum

cum nondum essent scripta euangelia; quorum tamen sola exhibitione, tanquam materia peracta postea semper est eadem ordinatio. Quid quod Ecclesia Latina, & Græca hodieque dissident circa materiam huius sacramenti. quandoquidem Græci sola manuum impositione vtuntur, tanquam re, & materiam in ordinatione tam Diaconi, quam Presbyteri: Latini verò diaconatum conferunt exhibitione euangeliorum, & presbyteratum porrectione panis, & vini cum calice, & patena. Cui dissidio nullus esset locus, si omnis materia sacramenti esset inuariabilis per auctoritatem Ecclesiæ. Neque verò dici potest in alterutra Ecclesia Latina, aut Græca ordines sacros nulliter conferri.

Art. 1. Respondetur. Ponendum pro certo est, materiam, & formam sacramentorum, quatenus determinatas à Christo illas instituentem, non esse variabiles vlla humana Ecclesiastica, aut seculari auctoritate. Hæc est omnium catholicorum sententia definita à Concilio Florentino in §. quinto Ecclesiastico-rum superius citato: & à Tridentino sess. 21. cap. 2. doctrina de communione, initio: *declarat, ait, hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, vt in sacramentorum dispensatione, salua illorum substantia, ea staret, vel mutaret, &c.* Nomine autem substantiæ intelligit materias, & formas, vt liquet ex fine quæstionis præcedentis. Ratio est, quia solus Deus impertiri potest significationem practicam causatiua gratiæ, rebus, & verbis naturalibus, vt dicitur quæst. 10. Vnde si rebus, & verbis ab eo determinatis alia substituerentur per auctoritatem humanam; eo ipso euanesceret ratio sacramenti. Quia subsistere non posset vis significatiua, & causatiua gratiæ.

Art. 2. Non tamen pro omnibus sacramentis eandem rerum, verborumque determinationem vniformiter constituit Christus dominus: Nam in sacramento Matrimonij sufficiunt quælibet verba, & quælibet nuntus exprimentes consensum internum mutuum. In aliis sacramentis determinatè requiruntur voces articulatae, & humano ore prolatae; tamen possunt physice, quoad sonum, numerum, & quantitatem syllabarum, dummodo significatio naturalis insit ea, quæ à Christo præscripta est. Similis existit diuersitas, quoad res, quia pro quibusdam sacramentis necessaria est vnitas materiæ specifica atomi; pro aliis non est necessaria, pro aliis non sufficit. Exemplum primi habetur in baptismo iuxta communem sententiam; requiritur enim vera aqua naturalis, nec sufficit congelata: Exemplum secundi, & tertij habetur in sacramentis poenitentiae, & Eucharistiæ. Pro poenitentia enim requiritur dolor internus, & confessio externa, & vtralibet potest multipliciter specie dissidere. Pro Eucharistia est necessarium vinum de vite, quod ex communi opinione est multiplex specie; & consequenter species accidentales ex eo relicte, non sunt omnes eiusdem infimæ speciei.

Art. 3. Regula generalis est, materias, & formas cuiusque sacramenti debere conuenire inter se quoad significationem naturalem propriam, & quoad analogiam cum effectu sacramentali, debere etiam comprehendere sub significato proprio vocum, quibus Christus Dominus, ac deinceps Ecclesia illas nominat. Hoc igitur sensu sunt inuariabiles materiæ, & formæ sacramentorum, neque hæc subsistere, & valida esse possunt aliqua præterea varietate inducta.

Ad 1. Verbum vitæ in sensu literalis intento ibi ab Apostolo significat verbum per se immediatè causatiuum vitæ spiritualis; id est gratiæ, & sic semper intellexit Ecclesia Catholica. Hieronymus explicat in sensu tropologico, vt ipse ibidem aduertit. Apud Matthæum iniungitur quidem doctrina præuia, qua instruantur baptizandi, sed pro actu ipso Baptismi de-

signantur verba illa, non vt concionatoria, sed vt causatiua gratiæ per se immediatè, quod textus ipse satis præfert dum non dicit: *docete nomen patris, &c.* Sed *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* constatque certò ex perpetua Ecclesiæ traditione, tam Augustinus per *quia creditur* significat verbum abluere cor, quia est supernaturaliter eleuatum, ideoque credibile fide supernaturali; non verò quia actu creditur à suscipiente, quasi solus actus fidei verbis excitatus cor ablueret. Quod inibi satis explicat ipse Augustinus, & constat ex baptismo paruulorum toties contra Pelagianos expenso ab eodem Augustino. Videatur de his Bellarminus tom. 2. controuers. 1. lib. 1. cap. 19. & 20.

Ad 2. Determinauit quidem Christus Dominus contractum matrimonialem validum, tanquam requisitum, & essentialem pro perficiendo sacramento matrimonij; sed nihil interim determinauit circa requisita ad valorem eiusdem contractus; nec aliquibus eiusdem requisitis determinatè sumptis indidit rationem materiæ, aut formæ huius sacramenti, seu partis qualiscunque. Vnde Concilium materialiter tantum, ac identicè, non formaliter, ac directè nouitatem induxit circa sacramentum matrimonij, eiusdemque materiam, ac formam, quatenus sunt materia, ac forma ipsius, vt sacramentum est, dum effecit, vt non valeret, nisi coram Parocho, & testibus celebraretur. Nec enim retento valore contractus matrimonialis non minùs clandestini, quàm in facie Ecclesiæ initi, statuit, vt solum nihilominus in facie Ecclesiæ initus sufficeret, essetque idoneus ad sacramentum matrimonij perficiendum. Quod fuisset disponere formaliter circa ipsum Sacramentum. Sed solum statuit, ac effecit, vt contractus clandestinus, qui prius erat verus, & validus contractus, postea non esset contractus, seu vt esset contractus nullus, ideoque inutilis pro perficiendo sacramento, sicut quiuis efficere potest, vt quod erat panis, aut vinum, postea non sit, corrumpendo substantiam eorum. Et sic efficiendo, vt non sint vtilia ad perficiendum sacramentum.

Art. 1. ad 3. Sicut agens physicum naturale non potest, nisi eleuetur à Deo, actiuitate sua immediatè attingere effectum physicum supernaturalem, licet in eo reperiat aliquod prædicatum commune effectibus naturalibus producibilibus ab eodem agente per actiuitatem sibi intrinsecam secundum se præcisè consideratam: idque est omnino certum: ita auctoritas, seu iurisdicção humana purè naturalis non potest, nisi eleuetur à Deo supernaturaliter quidquam lege sua immediatè efficere circa contractus, aut alios effectus morales re ipsa supernaturales, & causatiuos gratiæ; tametsi in ipsis reperiat aliquod, seu aliquod prædicatum commune contractibus, alijsve effectibus moralibus adequatè, ac purè naturalibus; atque hoc est similiter pro certo tenendum.

Art. 2. Contractus autem matrimonialis inter fideles non est aliquid præuium, aut consequens, aut purè concomitans, aut tantum inseparabile respectu sacramenti matrimonij, sed est realiter adequatè identificatus cum ipso iisdemque omnibus, & solis contractus, & sacramentum adequatè constituuntur re ipsa; Nec valor, & realitas alterutrius absque valore, & realitate alterius, aut alterutrum aliunde, quam alterum esse, ac subsistere realiter potest inter fideles. Qua de re, & de eiusdem certitudine vltra ea, quæ dicuntur in loco videri potest inter alios Valentia tom. 4. disput. 10. quæst. 1. punct. 6. Quapropter disponere nemo quidquam potest circa validitatem contractus matrimonij inter fideles, quin eo ipso disponere realiter possit de validitate sacramenti.

déque opere verè spiritali, ac supernaturali; atque dirigere legibus suis voluntates subditorum circa obiectum, & opus realiter spirituale, ac supernaturale; idque non mediàtè tantum, ac remote aut indirectè, sed immediatè, & proximè, atque directè, quoad realitatem pertinet. Quod est maximè notandum pro clarissima ratione discriminis ad paritates aliquas apparentes in contrarium.

Art. 3. Cum igitur tota potestas, & iurisdicção Principum temporalium sit purè naturalis minimeque eleuata, aut supernaturaliter stabilita à Deo, sicut eleuata, & stabilita est auctoritas, ac potestas humana Ecclesiæ; patet nihil illos, aut licitè, aut validè statuere posse circa valorem, aut validitatem contractus matrimonialis inter fideles. Nulla itaque consequentia est à potestate Ecclesiæ ad eorum Principum potestatem in hac re; nec responsio præcedentis obiectionis potest obiectioni præsentì absolute accommodari, sed conditionatè tantum facta suppositione falsà. Nec propterea Principes sæculares Christianorum ullam iacturam auctoritatis, ac iurisdiccionis passi sunt per directam eius restrictionem, sed per subtractionem materiæ; circa panem, & vinum post eorum consecrationem. Numquam enim habuerunt iurisdictionem circa contractus matrimoniales, nisi purè naturales, quales iam nulli iniri validè possunt inter fideles. Euauerunt enim per institutionem sacramenti matrimonij; sicut substantia panis, & vini euanescit per consecrationem eorum, nec deinceps subest ulli sæculari legi circa pretia rerum, aliæque familia.

Ad 4. Siquidem olim, & nunc etiam apud Græcos diuersa fuit, & est materia pro sacramento ordinis ab ea, quam adhibet Ecclesia Latina, dicendum est consequenter Christum Dominum neutram determinatè exegisse; sed vtramlibet indeterminatè; sicut dictum est in secunda parte responsionis ad quæstionem de materiis, & formis aliorum etiam sacramentorum, quoad aliqua illis essentialia. Deinde probabile admodum est, quod pluribus suadet Arcudius lib. 6. Concordiæ cap. 7. eandem solam manuum impositionem, quæ est materia ordinationis apud Græcos, fuitque procudubio ante conscripta Evangelia, etiam apud Latinos quoad substantiam retineri, tanquam materiam essentialiter constitutiuam eiusdem sacramenti, atque cætera requiri ex præcepto non ad validam, sed tantum ad licitam ordinationem, de quo vberius in loco, est enim res longioris expensionis.

QVÆSTIO V.

Virum qualibet mutatio, additio, & diminutio in materia, & forma Sacramenti ipsum reddat inualidum?

Videtur reddere. 1. Quia nulla mutatio potest esse minor, quam vnus litteræ; contingit autem sola vnus litteræ mutatione induci nullitatem sacramenti; Si enim in forma baptismi loco Patris ponatur Matris; & in absolutione sacramentali pro te dicatur, me; non fiet sacramentum; & tamen vtrouque fit mutatio vnus tantum litteræ.

2. Qualibet mutatio materiæ, vel formæ secundum se est maior, quam mutatio ipsarum secundum accidens. Fieri autem potest, vt ex sola mutatione secundum accidens, sacramentum reddatur nullum. Quia aqua naturalis liquida solum differt secundum accidens à congelata; & tamen baptis-

mus est nullus; si adhibeatur congelata; validus, si liquida.

3. Qui promittit sub conditione, est liber à promissione, si conditio partim ponatur, partim non ponitur, etiam si minima sit pars, quæ non ponitur. Deus autem promittit gratiæ sacramentalem sub conditione quod ponatur talis forma, & talis materia. Ergo si alterutra ex illis partim ponatur, partim non ponatur, tamen si pars non posita sit minima; Deus erit liber à promissione, nec effectus gratiæ subsequi poterit ex vi promissionis eius. Quod est sacramentum esse nullum. Ergo qualibet diminutio inducit nullitatem.

4. Minister sacramenti inducens errorem, aut hæresim per mutationem materiæ, vel formæ, eo ipso sacramentum reddit nullum vt patet ex responsione Zachariæ Papæ, capite *regulæ* de consecratione 4. distinct. Quicumque autem addit quidquam, vel detrahit, vel vtrunque mutat ex parte materiæ, vel formæ à Christo præscriptæ, eo ipso, quantum est ex se, introducit errorem, vel hæresim. Quia insinuat partem detractam non pertinere ad rationem sacramenti; pertinere verò additam, vel commutatam; & vtrunque est error, aut hæresis.

Art. 1. Respondetur. Tria sunt in quibus merito Theologi conueniunt. Primum; Mutatio materiæ, vel formæ per additionem, diminutionem, vel commutationem si sit substantialis, sacramentum reddit inualidum; non verò si accidentalis sit. Secundum; tunc mutatio est substantialis, cum detrahitur aliquid eorum, quæ Christus Dominus exigit determinatè pro perfectione sacramenti; seu quibus determinatè deuinxit significationem, & causalitatem gratiæ. Tunc verò mutatio est accidentalis, cum versatur circa ea, quæ tantum requiruntur ex præcepto. Tertium; ea Christus exigit determinatè, iisque determinatè deuinxit significationem, & causalitatem gratiæ, quæ absolute continentur sub significatione communi, & propria verborum, quibus Scriptura, Concilia, & Patres, iuxta traditionem Ecclesiæ, exponunt materias, & formas sacramentorum.

Art. 2. Ratio horum est, quia sacramenta habent vim supernaturalem significandi, & cauendi ex voluntate Christi illa instituentis; ad eum modum, quo voces habent vim naturalem significandi, & excitandi species talium, vel talium obiectorum, ex voluntate illas naturaliter eum in finem instituentis. Sicut ergo naturalis significatio vocum, & excitatio specierum deficit deficientibus, aut permixtis syllabis, quibus, & quarum tali ordini ac separationi ab aliis præcisè ac determinatè, deuincta illa fuit ex humana naturali voluntate, illas sic vel aliter instituyente; ita etiam necesse est, vt supernaturalis significatio, & causalitas gratiæ deficiat deficientibus iis rebus, & verbis, iisque vtrorumque partibus, & partium muto inter se ordine, coniunctione, separatione ab aliis atque dispositione accidentali, quibus præcisè, ac determinatè eadem significatio, & causalitas deuinctæ sunt ex voluntate Dei instituentis sacramenta. Quia verò de hac voluntate nobis non constat, nisi per verba, quibus Scriptura, Concilia, & traditiones Ecclesiæ eandem voluntatem, eiusque obiecta manifestant; propterea iis omnibus, & solis deficientibus, quæ sub talibus verbis absolute comprehenduntur secundum propriam eorum significationem, deficit significatio, & causalitas sacramentalis, ipsumque sacramentum redditur nullum.

Art. 3. Constat porro non qualibet additione, aut detractione, aut permutatione facta in materia, & forma sacramenti, eo ipso res, & verba, quibus ambæ constant, extrahi ex significato verborum, quibus per scripturam, Concilia, & traditiones manifestantur. Sicut enim Titius comprehenditur sub significatione